



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 92. An & qualiter consensus Matrimonialis exprimendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

Frustraque adducitur in oppositum exemplum hæretici validè baptizantis, etsi firmiter credat Baptismum non esse Sacramentum; nam non ideo validè baptizat, quia baptizat sub conditione, si fortè sit Sacramentum, quia istam voluntatem habere non potest, dum absolute credit, non esse, nec esse posse in aliquo casu Sacramentum, sed quia intendit facere, quòd Christus instituit, sub qua intentione continetur voluntas conferendi Baptismum Sacramentum, & quæ consistere potest cum credulitate & errore, quo existimat non esse Sacramentum. Item frustra adducitur *Clem. unica de consanguinitate*, ubi excommunicatur, quia verè contraxit, vel etiam efficaciter contrahere intendit matrimonium; sed quia extrinsecus id attentavit animo vacandi libidini.

Quæst. 91. Num consensus utriusque conjugis debeat simul existere.

R Esp. ut utriusque conjugis consensus physicus & actualis sit simul, non requiritur, neque ratione Sacramenti, utpote ad quod constituendum sufficit partes inter se moraliter conjungi & coexistere sibi, ut patet in Sacramento penitentia; neque ratione contractus, in quo facilius adhuc admittitur illa moralis conjunctio. *l. qui presens. ff. de V. O.* paterque in præsentem, dum contractus matrimonii celebratur per epistolam vel procuratorem. Poterit itaque matrimonium celebrari consensu physicè præterito habitualiter perseverante, absque eo, quod opus sit permanere illum in effectu aliquo producto, qui sit causa contrahendi; cum nihil physicum efficere debeat, sed solum hunc moralem effectum, traditionem nimirum mutuum corporum, mutuaque obligacionem, ad quam præstandam sufficit perseverantia moralis habitualis; ideoque licet multum temporis intercesserit inter unum & alium consensum physicè elicitos, si tamen de facto neque expressè, neque tacitè revocatus fuerit, sufficere ad contrahendum matrimonium. Ita *Castrop. p. 6. num. 2.* idem ferè sentiunt, *Sanch. l. c. d. 32. q. 2. num. 7.* *Pont. l. 2. c. 16. an. 2.* *Cönninck. l. c. du. 7. concl. 1. § 2.* nisi quod velint relinquendam arbitrio prudentis, quantum temporis intercedere possit inter consensus illos mutuos. Unde jam etiam patet, hæc locum habere, ubi viget Trident. sive ubi requiritur præsentia Parochi & testium; dum nimirum hodie exprimitur consensus unius coram parochi & testibus et alterius consensus coram eodem parochi & iisdem testibus die alia, etsi hi nesciant, num prior consensus revocatus sit, cum id necessarium non sit, ut patet, dum assistunt matrimonio celebrato per procuratorem. An verò consentiente fictè, altero præbente consensum legitimum, possis dein denuo verè consentire, quin alter denuo consentiat, ac ita celebrare matrimonium validum, non ita certum est. Affirmat *Sanch. l. 2. d. 32. num. 2.* eò quòd prioris consensus adhuc maneat habitualiter. Negat *Castrop. num. 3.* eò quòd non tantum primus ille consensus tuus ob fictionem fuerit nullus, sed etiam alterius consensum reddiderit nullum; cum is non intenderit traditionem corporis sui, nisi alter etiam sui corporis traditionem fecerit, quia est contractus mutuos onerosus; adeoque ex perseverantia dicti consensus, utpote nullius valoris, consurgere nequeat matrimonium,

Quæst. 92. An & qualiter consensus matrimonialis exprimendus.

1. **R** Esp. primò: Necessario exprimendus verbis vel signis; cum matrimonium sit contractus respectivus humanus & politicus, qui solamente celebrari nequit; estque insuper Sacramentum, quod necessariò est signum sensibile gratiæ sanctificantis.

2. **R** Esp. secundò: Etiam in valentibus loqui, consensum exprimi per verba formaliter talia non est de necessitate Sacramenti. *Sanch. d. 31. n. 5.* *Valq. d. 3. de mat. c. 7.* *Covar. in 4. decret. p. 2. c. 4. n. 1.* *Pont. l. 2. c. 7. n. 4.* *Castrop. p. 7. n. 3.* *Arg. c. unic. 8. fin. de despons. impub. in 6.* ubi pro puella præsentem & tacente pater præstat consensum & verum matrimonium constituit; quia puella medio illo silentio contentum patetnum approbat; ut inquit *D. Thom. in 4. dist. 27. q. 1. a. 2. q. ad. 3.* Et certè si verba necessitate Sacramenti necessaria essent, id utique expressisset *Florent.* dum exactè materias & formas Sacramentorum declarat. Dum verò idem Concilium ait: *causa efficiens matrimonii est consensus regulariter per verba de præsentem expressus*; non vult consensum, prout ordinariè exprimitur per verba eadem, esse causam necessariam Sacramenti, sed indicat solum consensum, qui est causa Sacramenti, ordinariè seu regulariter & commodius exprimi per verba.

3. **R** Esp. tertio: Sed neque in valentibus loqui ad exprimendum consensum, verba sunt necessaria necessitate præcepti, quia nullibi tale præceptum exstat. *Sanch. l. c. n. 10.* *Gutt. c. 46. n. 11.* (qui tamen volunt esse peccatum veniale, dum valentes loqui omitunt verba, quod tamen sibi non placere, ait *Castrop.* quia ubi nulla lex, ibi nulla prævaricatio) *Pont. l. 2. c. 7. n. 14.* *Cönninck. l. c. du. 8. concl. 4.* Illud tamen fatendum, esse maximè decens, ut contrahentes verbis utantur, ad hoc, ut Ecclesiæ certius constet de matrimonio contracto, quod & non plus vult textus *c. sua fraternitati*; dicens, verba quòd ad Ecclesiam esse necessaria. item textus, *c. licet, § c. consultationi*, nimirum verbis matrimonium perfici; non quasi ea ex institutione Ecclesiæ sint necessaria seu præscripta, sed quòd sint signa aptiora consensu; unde etiam ait *Castrop. cit. n. 5. in fine.* quandoque ratione scandali, & ne dubius reddatur contractus, sub peccato mortali necessarium esse contrahentes consensum suum verbis exprimere.

Quæst. 93. An & quando copula inter Sponfos de futuro signum sit expressivum consensus matrimonialis.

1. **R** Esp. primò: est signum sufficienter expressivum consensus matrimonialis seu matrimonium contractum esse in iis locis, ubi Tridentinum non est receptum, non quidem ex natura rei, sed præsumptione juris, quatenus jus piè præsumit, matrimonium ante copulam illam contractum, ne ea aliàs sit fornicaria, dum enim Sponfi de futuro possunt inter se copulari tam animo fornicario quam affectu conjugali, Ecclesiæ, ne iudicet illos deliquisse, credit copulam processisse affectu conjugali, voluisseque Sponfos hac ratione promissionem matrimonii contrahendi ad executionem deducere. *Castrop. p. 8. num. 4.* juxta *c. ii quisidem. c. fin. h. t.* Porrò dum Titius contrahit Sponsalibus cum Anna, eà invitâ contrahit

Spon-